



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XI. Qualiter manducare milites debeant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

pascha vel festum sanctæ Mariæ aut omnium sanctorum euenerit, vobis ter refectio carnis sufficiat: quia assueta carnis comestio intelligitur honorosa corruptio corporum. Si vero in die Martis tale ieiunium euenerit, vt esus carniū retrahatur, in crastino abundanter vobis impendatur. Die autem dominico omnibus militibus remanentibus, nec non capellanis, duo fercula in honorem sanctæ resurrectionis bonum & idoneum indubitanter videtur. Alii autem, videlicet armigeri & clientes, vno contenti, cum gratiarum actione permaneant.

XI.

Qualiter manducare milites debeant.

Duos & duos manducare generaliter oportet, vt folerter vnus de altero prouideat, ne asperitas vitæ, vel furtiua abstinentia in omni prandio intermisceatur. Hoc autem iuste iudicamus, vt vnusquisque miles aut frater æqualem & æquipollentem vini mensuram per se solus habeat.

XII.

Vt aliis diebus duo aut tria leguminum fercula sufficiant.

Aliis nam diebus, videlicet secunda & quarta feria, nec non & sabbato, duo aut tria leguminum vel aliorum ciborum fercula, aut, vt ita dicam, cocta pulmentaria, omnibus sufficere credimus: & ita teneri iubemus, vt forte qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur.

XIII.

Quo cibo sexta feria reficere oportet.

Sexta autem feria cibum quadragesimalem ob reuerentiam passionis omni congregationi, remota infirmorum imbecillitate, semel sufficere a festo omnium sanctorum vsque in pascha, nisi natalis dies Domini vel festum sanctæ Mariæ aut apostolorum euenerit, collaudamus. Alio vero tempore, nisi generale ieiunium euenerit, bis reficiantur.

XIV.

Post refectiōem semper gratias referant.

Post prandium vero & cœnam semper in ecclesia, si